



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

Qvæstio VII. Quomodo ens contincat inferiora?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

mali substantiæ, vel accidentis, cum sit formalis substantiæ, aut accidentis: illi namque aut sola obijciunt substantiæ, aut solum accidens.

75 Si ultimum, iam non erit vnus avulsus, & præcisus a conceptu substantiæ, & accidentium, sed plures simul, alter substantiæ, alter quantitatis, alter relationis, &c. quod est contra manifestam experientiam.

76 Præterea, si ex secunda ratione eatenus conceptus formalis entis re ipsa distinguitur a conceptu formali suorum inferiorum, quatenus solum attingit id, quod est per illum, intellectus minime cogitans, siue substantiæ, vel accidentis: ergo illi conceptui solum obijciunt id quod est, non vero substantiæ, vel accidentis, & consequenter nec modi eorum, igitur si obiectum nec est substantia, nec accidens, nec includit modos eorum, erit simpliciter abstractum, & præcisum a modis, & substantia, ac accidente, & consequenter conceptus etiam formalis talis obiecti representativus.

77 Ad hæc, si ex tertia ratione, ideo differt secundum rem conceptus formalis entis a conceptu formali substantiæ, & accidentis, quia potest intellectus certè scire aliquid esse ens, dubitare tamen siue substantiæ, vel accidentis: ergo per similem conceptum formalem certè, atque scientificè attingit obiectum, quod nec est substantia, nec accidens, sed quid utroque superius, & communius, & consequenter subtractum simpliciter a substantia, & accidente; unde, & idem formalis conceptus erit quoque simpliciter præcisus, & avulsus a conceptu substantiæ, & accidentis, secus enim non dubitaret, aut falsam imberet opinionem, existimando tale ens habere rationem substantiæ, cum esset accidens; ut ergo bene colligimus ex eo quod certo sciatur aliquid esse animal, dubitetur vero quale sit, an equus, vel leo, conceptum animalis esse simpliciter præcisum a conceptu equi, & leonis; ita & conceptum entis a conceptu substantiæ, & accidentis, quod certo sciatur lumen esse ens, & dubitetur, siue accidens, vel substantia.

78 Ulterius, si ex quarta ratione, quia ab omnibus similibus abstrahi potest conceptus aliquis formalis re ipsa distinctus, & substantia, ac accidens assimilantur in ente, ideo potest abstrahi re ipsa distinctus conceptus formalis entis, & avulsus a conceptu substantiæ, & accidentium: ergo talis conceptus repræsentabit suorum inferiorum similitudinem, & convenientiam. Male ergo postea assertum, solum repræsentare ea, in quibus substantia, & accidens differunt; imo repugnat saltem respectu nostri intellectus, quod per eandem numero actum repræsentantem convenientiam, similitudinemque expressam, importentur modi substantiæ, & accidentium, quibus differunt, cum ut tales, sint primo diversa obiecta, & nequeant per eandem imaginem naturalem exprimi, aut representari, ut videtur manifestum.

79 Deinde, si ille formalis conceptus terminatur ad inferiora ut similia in ratione entis inventa essentialiter, & intrinsece in eis se habebit ut animalis conceptus formalis, eritque simpliciter præcisus; nam si conceptus animalis terminatur ad inferiora, videlicet hominem, & brutum ut similia, & convenientia in ratione animalis, etiam conceptus entis, si convenientia hominis, & bruti in esse animalis est convenientia simpliciter, ita & convenientia substantiæ, & accidentium in ratione entis, cum substantia sit ens

simpliciter, & intrinsece, ac essentialiter. Quare vel neganda est præcisio simpliciter univocis, vel concedenda analogis importantibus rationem intrinsece repertam, & essentialiter in analogatis.

Testimonium verò Angelici Doctoris convincit sane ens descendere ad inferiora per additionem; (ut visum est supra & latius infra videbitur) & conceptum substantiæ, & accidentium ultimo resolui in conceptum entis, quod verissimum est, sed id nequit stare cum Malij assertionem quarta, docente ens immediate significare Deum, creaturas, substantiam, & accidentia; nam si per ens immediate hæc importantur, quomodo ad illa ens descendit per additionem, aut quomodo conceptus substantiæ ultimo resoluitur in conceptum entis, si per ens immediate ipsa assertur substantia; imo & accidentia; quare neque Deus, aut creatura, neque substantia, vel accidens resolvi possunt in conceptum entis ultimatè, cum hic importet omnia entia immediate, in quæ nequit resolvi Deus, vel creatura, aut ens aliud particulare. Imo nec cum alijs duabus assertionibus eadem quarta consistit, ut facile patet ex dictis. Porro eiusdem argumenta pro secundo pronuntiatio, eo tendunt ut probent entis conceptum formalem non esse simpliciter præcisum. Imo si recte expendantur, nec vnum, sed plures, cuius oppositum satis supra demonstratum est.

## SECTIO VLTIMA.

### Argumenta adversaria solvuntur.

Ad primum negatur suppositum, quod conceptus formalis entis sit analogus, quia ut iam probavimus, univocus est. Deinde, licet concederemus conceptum illum entis esse analogum, negamus tamen audito nomine analogo formare intellectum diversos conceptus formales, & sic negamus similitudinem, & comparisonem a Rubio factam nominis analogi cum æquivoco quantum ad hoc; & ratio est, quia nomen æquivocum significat res omnino diversas ut tales, nomen autem analogum intrinsece significat res convenientes in vna ratione præcisa superiori, & ideo unico conceptu possunt hæc concipi, & non illa.

Ad secundum concedo Maiorem, & primo nego suppositum, quod conceptus obiectivus entis, de quo hic loquimur, sit analogus, sed potius univocus. Deinde, concedamus suppositum, videlicet, quod sit analogus: nego tamen quod conceptus obiectivus entis non sit univocus, ut videre licet in Patre Suarez, Hurtado, &c.

## QVÆSTIO VII.

### Quomodo ens contineat inferiora?

## SECTIO I.

### Adversaria sententia proponitur.

Prima sententia asserit, ens continere actum confuso sua inferiora. Sic Galetanus, Ferras

## Quaest. VII. Quomodo contineat, &c. 177

ra, Sonzinas, Doct. Rubius, Smiglesius, & alij, quia illud continet actu aliquid, cum quo identificatur realiter, sed ens identificatur cum perfectitate, & inalicitate, cum accidente, & substantia: ergo, Maior sic probatur. Ideo substantia continet actu perfectitatem, quia identificatur cum illa: ergo illud, quod identificatur, &c.

Secundo, quia omne, quod est ens, continetur actu in ente, sed perfectitas, & inalicitas sunt entia: ergo continentur actu in ente. Minor sic probatur, quia inalicitas ut talis est, non est nihil: ergo aliquid: ergo ens.

Tertio, quicquid est in substantia actu, continetur actu in ente: sed perfectitas est actu in substantia, & continetur in ea: ergo perfectitas est actu, & continetur in substantia actu. Maior sic probatur, quia si includeret substantia aliquid actu, quod actu non contineretur in ente, distingueretur ab ente tanquam includens ab incluso, siquidem & includeret ens, & aliquid, quod non includit actu ens; sed hoc est falsum: ergo, Minor haec sic probatur, quia si distingueretur tanquam includens ab incluso, daretur processus in infinitum; nam si substantia distingueretur sic ab ente, quia includeret aliquid, quod non includit ens, de ipso incluso, interrogo, an distingueretur ab ente, vel non? si distinguitur ab illo, debet esse tanquam includens ens, & addendo aliquid supra ens; de illo addito iterum interrogo, an distingueretur ab ente, vel non? & sic proceditur in infinitum. Si non distinguitur: ergo aliquid particulare non addit aliquid supra ens: ergo neque substantia: ergo falsum est, quod dicitur.

4. Confirmatur, si ens non diceret actu totum, quod actu dicit substantia, substantia esset composita, & resolvable in duos conceptus tanquam in partes componentes, scilicet in perfectitatem, & rationem entis: sed hoc est impossibile: ergo.

5. Vigetur, substantia includit entitatem, & modum perfectitatis, sed perfectitas etiam includit entitatem, quia perfectitas est quaedam entitas: ergo perfectitas includit actu totum, quod includit actu substantia. Tunc sic arguuntur, & conceptus entis differt a conceptu perfectitatis solum per claritatem, & non per eminentiam alicuius, quod in illo etiam actu non contineatur: ergo continet actu quicquid continet perfectitas: ergo totum quod actu continet substantia, continet ens.

### SECTIO II.

#### Alia notantur.

6. Advertendum est, triplicem esse cognitionem obiecti, aliam actualis obiecti, aliam potentialis; unde alia actualis dicitur, alia potentialis cognitio. Cognitio potentialis, ut explicat D. Thomas opusculo 55, est per quam cognoscitur aliquid univertale, v. g. animal ut commune ad hominem, & ad equum: unde haec cognitio terminatur ad quandam naturam superiorem potentem se communicare inferioribus, & quatenus habet potentiam ut ad illa contrahatur, & propter hanc potentiam obiecti refusam in cognitionem vocatur ipsa cognitio potentialis.

7. Haec potentialis cognitio, alia est expressa, quia R. P. Ildaph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

per illam cognoscitur potentialitas obiecti, & simul percipiuntur tanquam termini illius potentialitatis distincte, & expresse inferiora illius, ut v. g. cognitio, qua cognosco animal ut sic non sistendo in cognitione illius, ut habet potentiam ad communicandum se multis in confuso cognitio, sed expresse, & expresse, & cum distinctione percipiendo quae sunt haec inferiora; in quorum essentia continetur, penetrando naturam, & proprietates illas; v. g. cognoscendo quod homo, qui inferior est animalis, ac proinde terminus potentialitatis ipsius sunt risibilitas, & admirabilitas.

Alia cognitio est confusa, quando solum cognoscitur animal cum potentia ad multa sub hoc conceptu obscuro multitudinis in communi, nihil clare, distincte, & expresse cognoscendo de illis multis in particulari. Vocatur confusa, quia non est hominis, aut leonis clare per eorum proprietates, & essentias, ita ut illi cognitioni clare, & expresse corresponsdeant formalitates peculiare in obiecto existentes, ratione cuius intellectus tali cognitione informatus possit reddere rationem talis obiecti proprie, & adaequate.

Cognitio actualis est, quae terminatur ad obiectum cognoscendum secundum ea, quae actu reperiuntur in ipso. Quare ex actuali continentia obiecti, actualis denominatio refunditur in cognitionem, v. g. cognitio, qua cognoscitur homo, non secundum inferiora illius; sed potius secundum quod est animal, & rationale, quia haec praedicata actu reperiuntur in illo, & illum actu constituunt essentialiter. Haec est duplex, alia distincta, alia confusa: Distincta est, quando obiectum repraesentatur per talem cognitionem secundum formalitates, quas actu continet secundum propriam, & peculiarem rationem earum. Et huiusmodi cognitio est, v. g. illa, per quam cognosco hominem esse entitatem per se corpoream, viventem, sensibilem, rationalem; vel cognitio, qua cognoscimus hominem compositum ex materia, & forma rationali.

Confusa est, qua cognoscitur totum actuale, non expresse percipiendo id, per quod constituitur actu, ut quando cognosco hominem sub hoc conceptu confuso explicatum per nomen homo, nihil exprimendo de ratione animalis, & rationalis. Has duas cognitiones egregie explicat P. Fons. 1. meth. cap. 2. quast. 2. sect. 1. dicens, cognitio distincta totius essentialis tunc habetur, cum nihil essentiae illius relinquitur, quod particulatim non percipitur, veluti cum species percipitur cognito genere summo illius, & omnibus differentiis, quibus constat, haec autem est cognitio omnino distincta; illa autem, quae datur per genus proximum, & ultimam differentiam, etiam solet communiter distincta appellari. Cognitio vero confusa totius essentialis illa est, quando totum illud essentialis secundum se apprehenditur, sed tamen ea quae ad illius essentiam pertinent, non particulatim expresse concipiuntur, veluti cum species secundum se apprehenditur, nihil explicando de genere, & differentia illius.

Advertendum est secundo, rem aliquam dupliciter posse continere aliquam formalitatem, vel potestate, vel actu. Continentia actualis adhuc subdividitur in duplicem continentiam. Alia, est actualis expressa ut v. g. continentia generis,

Z

neris, & differentia in definitione. Altera est continentia actualis confusa, & hæc bifariam etiam sumuntur; primo accidentaliter, secundo essentialiter. Accidentaliter est, quando ex vi talis continentia reperitur in continente aliquid prædicatum non pertinens essentialiter, & quidditative ad constitutionem illius, v.g. quando in homine cognoscitur existentia vel substantia, aut risibilitas, &c. Relicta autem hæc, quia de ea non agimus, loquimur enim de continentia essentiali actuali sive confusa, sive expressa, quæ ambæ in hoc conveniunt, quod illud, quod continetur actualiter in continente, sit de conceptu essentiali continentis; continentia autem potentialis est illa, quæ datur in ratione universalis respectu suorum inferiorum, de qua dixi plura in Logica agens de natura generis.

12 Ad cognoscendum autem quando aliquid actualiter confuse contineatur in alio, vel expresse, hæc regula sumitur ex Divo Thoma *opusc. 5*, ut attendatur ad significationem nominis illius obiecti. Tunc enim in aliquo obiecto continetur vel expresse, vel confuse aliqua formalitas, sine qua significatio illius nominis non potest salvari sive expresse, sive confuse; unde si mens reflectat supra obiectum cognitum, sine dubio inveniet in illo obiecto aliqua prædicata ita inclusa in illo, ut ipsum in nullo statu possit esse sine illis, ita ut si per impossibile, aut possibile tolleretur aliquod illorum, iam non esset illud obiectum, sed aliud distinctum ab illo; quod totum explicatur exemplo hominis, qui potest confuse concipi non concipiendo expresse rationem entis, substantia, &c. sed si mens reflectatur supra ipsum, inveniet in illo formalitates entis, substantia, corporis, &c. ita inclusas in ipso, ut sub nullo statu possit esse, & conservari homo sine aliqua illarum. Unde si per impossibile ab illo tolleretur aliqua ex illis formalitatibus, etiam si remanerent aliæ, iam non esset homo, sed aliud obiectum distinctum ab homine, v.g. si tolleretur formalitas rationalitatis, non maneret homo, sed aliud obiectum; in qua fundatur infallibilis regula Summularum sumpta ex Aristotele, scilicet quod ex ablatione prædicati essentialis non manet eadem essentia, quia ut inquit Philosophus, essentia sunt sicut numeri: qui destruuntur ex ablatione cuiuscunque unitatis. Item si auferatur ab homine formalitas entis, aut substantia, ut sic, absolute destruetur homo qui est inferior respectu substantia, ut patet ex illo certissimo axiomate Dialecticorum, nimirum: ex negatione alicuius rationis inferioris, ut v.g. non est substantia: ergo non est homo; quia implicat, dari hominem in aliquo statu sine substantia. Quod etiam explicatur exemplo eiusdem hominis physice sumpti; si enim aliquis dubitaret, quid includeret actualiter homo quidditative: an quantitatem, vel albedinem, formam rationalem, aut materiam primam? Respondendum esset, quod includeret formam rationalem, & materiam primam; non vero albedinem, & quantitatem. Et ratio est assignata, quia homo physice potest esse sine quantitate, & albedine, non tamen sine materia, & forma, quia ablata materia, vel forma, necessario destrueretur homo formaliter ex vi ablationis illarum.

13 Dixi, formaliter, quia bene potest contingere quod destruaturnum ex ablatione alterius, so-

lum propter necessariam connexionem, quæ datur in illo respectu alterius, etiam si non includat illud, cum quo connectitur actualiter in suo conceptu, ut in sententia probabili omnipotentia destrueretur destructis possibilibus, & relatio destruitur ex ablatione sui termini, etiam si non includat intrinsece illum in suo conceptu; tunc autem omnipotentia destrueretur, non formaliter ex defectu alicuius intrinseci significati, seu prædicati, sed consequenter ex defectu alicuius extrinseci connotati, cum quo habet necessariam connexionem.

### SECTIO III.

*Conclusio ponitur, & probatur.*

ENS nullo modo continet actu sua inferiora; sic Patet Suarez, Albertin. Molin. & alij.

Probatur primo auctoritate Divi Thomæ *opusc. 5*, ubi sic ait: sicut sunt genera universaliora, & in potentia, ita genera confusa, quia universaliora sunt, & continent in se sua inferiora in potentia, & non in actu; sicut universalissimum comparatum ad substantiam, & accidens continet illa. Vbi, qui scit aliquid in universalibus, scit illud indistincte. Sic Angelicus Doctor. Vbi clarissime, & expresse nostræ sententiæ favet, utendo eisdem pene verbis, quibus tenet conclusionem explicamus. Quam etiam tenet aperte Aristoteles. 2. lib. *Metaphysica*, textu 22. & 4. lib. eiusdem *Metaphysica*, textu 9. & 7. *Metaphysica*, textu 6. & alijs in locis, ubi passim comparat ens universalissimum cum entibus particularibus eo modo, quo comparat genera cum speciebus, sed genera in sententia Aristotelis, v.g. animal ut sic, arbor ut sic nullo modo continent actu sua inferiora, sed in potentia: ergo similiter ens non continet actu, sed in potentia sua inferiora.

Ratione primo sic probatur conclusio. Illud solum includitur actu in conceptu entis obiectivo metaphysice, quod necessario requiritur ad veritatem huius nominis ens, vel quod potest cognosci per actum expresse representantem conceptum entis, ita ut sine illo non possit expresse percipi ens adequatè; sed neque ad veritatem nominis ens, requiritur perfectas, vel inalieitas, nec ad conceptum expressum adequatum entis: ergo perfectas, & inalieitas non includuntur in conceptu obiectivo entis actu metaphysice, & essentialiter. Maior est certa. Ideo enim manifeste colligimus in homine includi subsistentiam, quia non potest verificari nomen homo de obiecto quod non includat subsistentiam, ratione cuius non potest dici: Verbum Divinum assumpsit hominem, ut definitur in Consilio Ephesino, primo Nizeno, & Constantinopolitano, quia non assumpsit naturam, & supposititalitatem, hoc est suppositum humanum, sed solum humanitatem; de qua non potest cum veritate prædicari nomen homo. Clarius exemplum; Ideo colligimus à posteriori evidentè, obiectum huius nominis animalis metaphysice, & essentialiter actu includere hæc duo prædicata vivens, sensibilis; quia nomen anima non potest verificari illo modo, aut cum veritate prædicari de aliquo subiecto, in quo non includitur actu essentialiter ratio viventis sensibilis. Unde de lapide non prædicatur nomen animal,

## Quæst. VII. Quomodo contineat, &c. 179

animal, aut verificatur de illo; quia in lapide non continetur vivens sensibilis; quod continetur actu in obiecto animalis. Ex quo etiam sequitur quod per expressum conceptum non possit concipi animal, quin concipiatur vivens sensibilis; ergo illud solum includit conceptus entis obiectivus, &c.

17 Minor sic demonstratur quantum ad primam partem. Tunc ad veritatem alicuius nominis necessario requiritur aliqua formalitas, quando non potest tale nomen verificari de aliquo subiecto, quod non habet illam formalitatem; sed nomen ens potest verificari de subiecto, quod non habet inalienitatem, v. g. ergo inalienitas non requiritur ut nomen ens verificetur de aliquo subiecto. Maior est certa, ut patet ex dictis. Probatur. Minor. Quia hæc est vera propositio: Deus est ens; ubi nomen ens verificatur de Deo; sed in Deo non datur inalienitas: ergo nomen ens ad sui veritatem non requirit inalienitatem. Et idem argumentum potest fieri de perfectitate. Nam de albedine, & luce verificatur nomen ens, cum lux, & albedo existant, & sint à parte rei; ac proinde non repugnet existere, & nihilominus, neque lux, & neque albedo continent perfectitatem, cum sint vera, & physica accidentia, & non substantia; ergo nomen ens non requirit ad sui veritatem formalitatem perfectitatis.

18 Deinde probatur eadem minor quantum ad secundam partem. Quia tunc aliqua formalitas includitur confuse, & actualiter in aliquo obiecto, quando ita se habet illud, ut si mens reflectat supra ipsum, necessatio per conceptum expressum cognoscat, & percipiat talem formalitatem includam in ipso; sed inalienitas non se habet ita respectu entis: ergo ens non includit illam actu confuse. Maior constat ex dictis. Minor est evidens, quia si mens reflectat supra ens ante cognitum confuse à se ipsa, per conceptum expressum, non cognoscat inalienitatem in ipso, quia sufficienter cognoscitur ens, si cognoscatur ut aptum ad existendum; sed ens potest cognosci ut aptum existere sine inalienitate, ut videre est in humanitate Christi, in quo concipitur aptitudo ad existendum sine aptitudine ad inhaerendum: ergo ens ad sui perfectam cognitionem non requirit cognitionem inalienitatis: ergo ens non includit actu confuse inalienitatem, &c.

19 Confirmatur, quia illud, quod actu confuso continetur in ente actu expresso, debet necessario includi in eius definitione scientifica, sed in definitione scientifica entis minime includitur actu expresso accidens, vel substantia: ergo in ente ut sic non includuntur actu confuso. Maior est evidens, quia omne, quod actu metaphysice confuso includitur in definito, includitur actu expresse in aliqua ipsius definitione, v. g. animal, (& idem est de homine) solum illud includit actu confuso, quod in definitione simpliciter distincta animalis explicatur, v. g. in hac definitione includitur expresse quidquid confuse includitur in animali: est ens per se corporeum vivens sensibilis. Quid enim aliud præter hæc prædicata includuntur confuse actu metaphysice in animali? Certe nihil. Et ratio evidens est, quia cum definitione, ut patet ex regulis bene definiendi habeat omnes has condiciones, quod sit adæquate convertibilis cum definito; quod neque excedat definitum, neque excedatur ab illo, inde evenit, quod si ex alio capite est omnino simpliciter distincta, & expressa definitio, ne excedatur à definito.

R. P. de Ideph. Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

nito; quidquid actu metaphysice, & essentialiter confuse includitur in definito, debet actu expresse includi in definitione illa.

Minor præcipua sic probatur, quia hæc est omnino expressa definitio entis: ens reale est, quod potest existere à parte rei, sumpto ly posse, pro potentia logica non repugnantia; & est definitio essentialis, quia datur per potentiam ad existendum; quæ essentialis est omni enti reali; nam illud, per quod distinguitur essentialiter unum ab alio, essentialis illi est, sed ens reale distinguitur essentialiter à chymæra, & nihilo, quia enti reali non repugnat existere realiter; quod repugnat essentialiter chymæra, & nihilo; ergo est essentialis definitio. Quod autem sit definitio, sic probatur; quia est oratio simpliciter convertibilis cum ente, & explicans illud, quod confuse est in ente essentialiter. Unde erit oratio explicans essentiam rei, & sic & definitio erit; sed in tota hac definitione nulla mentio fit accidentis, vel substantia; ergo accidens, & substantia non includuntur actu expresse in entis definitione.

Dices, quod definitio essentialis entis ita debet constitui: ens est aptum existere realiter ut substantia, & accidens, & sic in definitione essentiali entis exprimitur, substantia, & accidens.

Sed contra: Ergo de Deo potest prædicari substantia, & accidens; atqui hoc est absurdum; Deus non est accidens: ergo definitio essentialis entis non constituitur modo dicto ab adversariis. Prima consequentia patet evidenter, de quocumque prædicatur definitum, debet prædicari definitio essentialis illius, sed de Deo prædicatur ens, quod est definitum: ergo de illo prædicatur definitio essentialis illius, quæ est substantia, & accidens. Maior est evidens, quia ideo de Petro prædicatur definitio essentialis hominis, scilicet quod sit animal rationale, quia de illo prædicatur definitum, scilicet homo. Et ratio huius est manifesta, quia definitio, & definitum convertuntur, suntque æqualia in prædicatione; & ideo à logicis dicuntur ad convertentiam. Minor præcipua est etiam evidens, quia ens prædicatur essentialiter de Deo. Consequentia legitime inferitur, & est hæretica; ergo propositio aliqua, ex quo colligitur mediate, vel immediate, est falsa; sed non potest esse alia, nisi illa quæ ut definitio essentialis entis est tradita ab adversariis: ergo, &c.

Secundo contra, quia ens est commune prædicatum accidenti, & substantia, quia de utroque non solum nomen entis, sed etiam ratio prædicatur; sed in definitione rationis communis essentialis non debent poni inferiora, vel subiecta illius prædicati communis: ergo in definitione entis, quod est commune, & superius prædicatum non debent poni substantia, & accidens, quæ sunt inferiora illius. Minor est certa, quia ideo in definitione animalis non ponuntur homo; equus, leo, &c. quia sunt inferiora animalis, & in definitione substantia ut sic nullo modo ponuntur substantia corporea, & spiritalis, quia illa sunt subiecta prædicationis communis substantia ut sic. Et ratio evidens est, quia in definitione alicuius definiti non debent poni ea, quæ sunt extra essentiam illius; sed inferiora alicuius rationis communis sunt extra essentiam illius. Unde dixit Aristoteles 4. Metaph. differentias, & species esse extra rationem generis: ubi Philosophus per rationem generis non solum indicat id, quod proprie

Z 2 genus

genus est, sed potius quamcumque rationem superiorem, & communem, extra cuius conceptum essentiali sunt inferiora, vt optime adnotavit Divus Thom. supra dictum librum, *lectio 4.* ergo inferiora non debent poni in definitione superioris; atqui ens est conceptus communis respectu accidentis, & substantiæ: ergo accidens, & substantia, quæ sunt inferiora illius non debent poni in definitione essentiali entis.

24 Illustratur hoc exemplo Dei, quia Deus definitur essentialiter, in cuius definitione essentiali non ponuntur personalitates Patris, Filij, & Spiritus Sancti; quia Deus est vna ratio communis realiter tribus oppositis personalitatibus. Quod autem Deus definiatur sine personalitatibus, patet ex hac definitione: Deus est ens per se intellectuale omnino independens à quocumque alio in omni genere causæ. Ecce quomodo in hac definitione essentiali Dei nulla mentio sit relationum divinarum. Alias, si in definitione essentiali Dei includerentur personalitates divinæ essentialiter, constituendo ipsum Deum, vnaquæque persona constitueretur ab alijs; vnde Pater constitueretur per spirationem passivam, & filiationem, & sic Pater esset Filius, & Spiritus sanctus, & e contra Filius, & Spiritus sanctus essent Pater; nam quidquid est de essentia rationis communis, est de essentia vniuersaliusque, cui communicatur talis ratio, & prædicatur de illo. Vnde quia de Deo prædicatur independentia, etiam prædicatur de Patre, & sic quia est verum dicere: Deus est independentens, similiter est verum dicere: Pater est independentens; sed de Deo quatenus communicatur Patri, & Filio prædicatur quidquid est in eius definitione, & in definitione Dei est filiatio; ergo de Deo prædicatur filiatio; sed Deus prædicatur de Patre: ergo de Patre prædicatur filiatio essentialiter; & sic erit verum dicere: Pater essentialiter est filius; quæ est hæresis manifesta. Ne ergo hoc absurdum sequatur, dicendum de essentia Dei non esse personalitates, neque in definitione essentiali illius poni; quia in definitione essentiali alicuius prædicati communis non debet poni ratio, cui communicatur; sed ens est prædicatum commune respectu substantiæ, & accidentis: ergo neque substantia, neque accidens debent poni in definitione entis vt sic: ergo substantia, & accidens non includuntur actu confuso in ente vt sic.

25 Confirmatur secundo, quia ens, vt est obiectum metaphysicæ, & quatenus communicatur essentialiter omnibus rebus tam creatis quam increatis, concipitur secundum vltimum modum præciseendi essentiam à quocumque accidenti, quia quando metaphysica agit de aliquo obiecto, agit de illo sub ratione essentia, hæc enim est ratio obiectiva huius scientiæ, & ideo licet agat de accidentibus, non agit quomodocumque de illis; sed principaliter, & primario agit de essentia accidentis sub ratione essentia: ergo si agit de ente vt ens est, agit de essentiali ratione entis, agendo de intrinsecis principijs primo constitutivis entis, hoc enim est munus metaphysicæ, quia cum agat de omnibus rebus, de quibus cæteræ scientiæ agunt, vt diximus *disputatione 1. Metaphysica*, vt à cæteris scientijs distinguatur, agit de illis sub ratione essentia: ergo solum actu sive confuso, sive expresse includit ens quatenus est obiectum Metaphysicæ cognitionis illud, quod est actua-

liter de essentia illius; sed de essentia entis nullo modo est neque perfectas, neque inalicitas: ergo nullo modo includuntur in ente actu perfectas, & inalicitas. Minor illa est evidens, quia quidquid est de essentia superioris, est de essentia cuiuscumque inferioris contenti sub illo, secundum illud principium dici de omni: Atqui substantia, & accidens per vos sunt de essentia entis, vt ens est superius Deo, Angelo, & homini: ergo substantia, & accidens sunt de essentia Dei, Angeli, & hominis. Vnde erit verum dicere: Deus non solum est substantia, sed accidens, & homo erit accidens, & substantia quod est falsissimum: ergo falsum est dicere, substantiam, & accidens esse de essentia entis.

Urgetur, quia illud axioma: Dicitur de omni: non solum à nobis, sed etiam ab ipsis adversarijs ita explicatur, vt quidquid reperitur actu in superiori, dum tamen sit prima intentio, & non secunda, prædicatur de omni contento sub superiori, siue illa prima intentio sit accidentalis, siue essentialis. Cui maxime concordat aliud principium, seu axioma dialecticum: quidquid actu realiter continetur in prædicato alicuius subiecti, etiam debet contineri in subiecto talis prædicati, v. g. quia in albo vt sic, quod est prædicatum Cygni, continetur actu confuso subiectum corporeum, & expresse continetur albedo, etiam in Cygno, de quo prædicatur album, continetur eodem modo, & subiectum, & albedo. Et quia in vivente vt sic includuntur confuse ens, & substantia, & vivens vt sic quatenus præciseinditur ab spirituali, & corporeo, prædicatur de Deo, etiam in Deo confuse continetur actu substantia, & ens; sed in ente vt sic, quod est commune prædicatum Dei essentiali, quia de Deo quidditative prædicatur, actu continetur confuse accidens, & substantia, creatum, & increatum: ergo essentialiter includuntur actu confuso hæc omnia in Deo: vnde erit vera hæc hæresis: Deus essentialiter, & est creatura, & accidens; vel est creatura, vel accidens; quia quidquid prædicatur de prædicato alicuius, prædicatur etiam de subiecto talis prædicati tam confuse quam expresse actu. Sicut enim se habet expressum superioris ad expressum inferioris, ita se habet confusum superioris, (quodcumque illud sit, dum tamen non sit secunda intentio) ad confusum inferioris, quia ratio adæquata, quare expressum superioris convenit inferiori, est illud ipsum principium supradictum dici de omni, hoc est, quia illud superius est de essentia huius inferioris, vt homo respectu Petri, animal respectu hominis, vivens respectu vtriusque; sed etiam ratio superior quatenus actu confuso continet prædicata, & formalitates, manet in esse superioris, & non desinit esse talis, cum non solum per expressum, sed etiam per confusum constituitur in tali esse: ergo de essentia inferioris non solum est id, quod actu expresse continetur in superiori, sed etiam quod actu confuse continetur in illo; sed de essentia Dei, quod est inferius entis, non possunt esse prædicata, & formalitates accidentis, & creati: ergo accidens, & creatum non possunt contineri actu confuso in ente.

Amplius declaro hoc, quia nihil potest dari 27 in conceptu communi, & superiori multis, quod destruat communiter, & communicationem illius respectu omnium inferiorum. Vnde non potest includere aliquid, quod officiat indeterminationi, & indifferentiæ illius; sed si ens includeret actu

## Quaest. VII. Quomodo contineat, &c. 181

actu rationem creati, & increati, accidentis, & substantia, talis inclusio destrueret communicationem entis respectu Dei, & creaturatur: ergo ratio entis actu non includit rationem creati, & increati. Minor sic probatur. Quia si in ratione entis includeretur ratio creati, & accidentis, &c., non posset participari ens a Deo; quia in Deo non potest reperiiri ens cum rationibus creati, & accidentis, neque determinate, neque indeterminate, quia Deus non est indifferens, & indeterminate ad rationem creati, & increati, sed determinate, & infinite est ens perfectissimum cum summa determinatione ad esse. Deistat quod est determinatum ad unam rationem oppositam, non potest esse indeterminatum ad aliam oppositam, v. g. Petrus non est indifferens ad hoc ut sit Bucccephalus, vel Petrus; sed determinate est Petrus, & homo, & contra vero animal, quia ad nihilum est determinatum ex se intra differentias contentas sub latitudine animalis: ex se, & ex sua essentia potest coniungi cum aliqua illarum indifferenter, & cum quacunque.

Explicatur hoc exemplo claro. Materia Caeli in sententia adversariorum non potest uniri alijs formis distinctis à proprijs, quia est ex natura sua determinata ad illam; ac proinde hoc caelum est incorruptibile; ergo si Deus de se, & ex sua essentia est determinatus ad esse increati, & substantia: ergo nullomodo potest habere rationem creati, & accidentis; ergo non potest participare esse à ratione superiori continente essentialiter rationem creati, & accidentis; sed ens per vos actu confuso continet essentialiter rationem creati, & accidentis: ergo non participatur à Deo, neque ipsum, se Deo communicat, quia non est communicabile aliquid alicui, quod non potest participare illud, v. g. Ideo lapis ut sic non est communicabilis homini, & Angelo, quia homo, & Angelus non possunt participare esse lapidis ab ipso: ergo similiter in nostro casu, si ens continet actu rationem creati, & accidentis, nullomodo poterit participari à Deo.

Ex alio capite, si continet rationem substantia, & increati, non poterit se communicari accidenti, & creaturatur, quia accidens, & creatura nullomodo possunt participare ab ente esse substantia, & esse increati; alijs creatura esset increata, & accidens esset substantia, quod est falsissimum: ergo continentia confusa actualis differentiarum, & inferiorum in ente officit communitati ipsius, & impedit communicationi indifferenter ipsius; ac proinde ens ut sic non erit commune Deo, & creaturis, &c.

Dices, rationem illam entis inventam ubique cum illa præcisione, & indeterminatione, inveniri etiam cum continentia actuali confusa differentiarum; cum autem non inveniat cum præcisione in Deo, ideo non reperiri cum continentia actuali differentiarum in ipso.

Sed contra, quia licet ratio communis multis inveniat non in statu præcisionis, & abstractionis, sed in statu contractionis, semper est cum omni illo, quod actu continet sive confuso, sive expresse quatenus tale est, v. g. quia animali metaphysice sumpto conveniunt actu confuso vivens, substantia, ens; & quia actu expresse conveniunt ipsi animalitas, conveniunt illi in quocumque statu sive separationis, sive contractionis, & etiam conveniunt inferioribus omnibus animalis eo modo sive expresse, sive confuso; nam non solum

animal ut præcisum est vivens, & est substantia; sed etiam ut est in homine, & in equo; & ideo illa prædicata confuse conveniunt homini non solum divisively, sed omnia collectivè. Et ratio evidens est; quia nihil potest concipi, nec esse sine adæquata essentia constitutiva illius, atqui omnia prædicata sive expressa sive confusa metaphysica constituunt essentiam adæquatam illius; ergo nullibi, nec villo modo potest concipi illa res sine illis prædicatis sive in confuso, sive explicito, quæ actu continentur in illa metaphysice: sed ens ut sic, & quatenus tale est, metaphysice actu continet esse creatum, & increatum; ergo illa prædicata conveniunt enti semper, & in quocumque statu sive præcisionis, sive contractionis, & omnibus inferioribus illius.

Deceptio autem solutionis adversariorum consistit in hoc, quod non distinguat prædicata rationis, quæ conveniunt rationi communi, ut superioris generis, speciei, totius potentialis, & alia id genus à prædicatis realibus; illa enim cum formaliter conveniant illi ratione status præcisionis destructo illo statu, non illi conveniunt, & ideo nec inferioribus, nec illi ut in illo statu non est, quia ut sic destruitur, v. g. quia possibili in statu possibilitatis ex vi ipsius status formaliter convenit contradictio existentia; destructo illo statu, dum producit, vel extrahitur extra causas, non convenit possibilitati contradictio existentia; sed potius existentia ipsa; sic similiter animali ut sic, quia convenit ut præcisum est, esse universale, esse genus, dum contrahitur animal non convenit illi ratio universalis, & in sententia omnium sine villo discrimine inferioribus illius minime hæc prædicata conveniunt; quis enim potest dicere, hominem esse genus, Petrum esse speciem, & universale; sed omnia prædicata realia, quæ conveniunt superiori sine vlla dubitatione conveniunt omnibus inferioribus; quia secundum illa constituit essentialiter inferiora superior: ergo si ens continet actu hæc prædicata realia, ratio creati, & increati; omnia illa collectivè reperiuntur in quocumque inferiori.

Præterea, quia nulla ratio præcisa, & indeterminata, & indeterminatione potest inveniri in aliquo inferiorum, siquidem talem præcisionem, & indeterminationem habet operatione intellectus, & non à se, quare impossibile est omne quod exigit solutio in omni materia tam univoca, quam analogica; ac per consequens nihili habendum quod dicitur; unde ea ratio, quæ sub tali præcisione, & indeterminatione enti convenit in nullo inferiorum potest reperiri, quia ratio superior, non participatur secundum denominationem rationis, quia illæ denominationes non sunt res, quæ participantur, sed conditiones participandi id quod actu includitur in obiecto participato.

Dicunt alij, ita se habere in præsentis conceptum entis, substantia, & accidentis sicut conceptum definitionis, & definiti; unde sicut in conceptu definitionis clare importatur illud, quod actu confuso reperitur in definito, sic in his conceptibus accidens, & substantia includitur clare, & expresse quod actu continetur confuse in ente.

Sed contra, quia illa se habent tanquam definitum, & definitio, quando ab uno ad aliud convertibiliter fit argumentum, v. g. est homo: ergo animal rationale, & è contra; sed non arguitur

bene: Deus est ens: ergo accidens, & substantia: ergo nulla est solutio. Item quia definitum non dicitur præcise à definitione. Præterea, quia quidquid convenit definitioni, convenit essentialiter definito; sed ens præcise dicitur ab inferioribus simpliciter, & absolute, ut supra late demonstratum manet, & in sententia adversariorum saltem secundum quid. Et ex alio capite non convenit enti, quod convenit accidenti, & substantiæ, quia accidenti, & substantiæ convenit esse ens per se, & in alio, enti autem minime convenit; alias oppositæ rationes eidem convenirent: ergo non se habent ut definitio, & definitum.

## SVBSECTIO IV.

*Secundum argumentum principale ponitur.*

36 **O**Via illud includitur actu sive confuso, sive expresse in aliquo obiecto metaphysico, quod est talis conditionis, ut sine illo tale obiectum ut terminans illam cognitionem non possit reperiri neque salvari, sed obiectum huius cognitionis ens, perfecte salvatur sine substantia, & accidenti: ergo in ente neque confuso, neque expresse actu includuntur substantia, & accidens. Maior, (præterquam quod est expressa sententia adversariorum) sic demonstratur: Ideo homo includit actu animalitatem, & rationalitatem confuso, quia homo ut est obiectum huius cognitionis actualis non potest nec reperiri, nec salvari sine animalitate, & rationalitate in confuso, & hoc obiectum persona, ut diximus, quatenus terminat cognitionem illius, determinate actu, non expresse, sed confuso continet naturam intellectualem, quia persona ut sic nullomodo potest nec reperiri, nec salvari sine natura intellectuali, & contra vero animal, cum non contineat actu nec expresse, nec confuso rationale, potest salvari, & reperiri perfecte sine rationalitate in equo. Et ratio à priori est: quia continentia actualis alicuius quatenus talis, pertinet ad constitutionem alicuius eo modo, quo fuerit continentia actualis, ut in homine continetur actu personalitas, quia hominem constituit actu in esse personæ, quod non habet humanitas, & humanitas datur actualiter in homine, quia constituit hominem in esse hominis formaliter; & albedo datur actualiter in Cygno, quia constituit illum actu album formaliter; sed res quatenus taliter in suo esse constituitur, & taliter constituta significatur, non potest reperiri, nec salvari sine suo constitutivo actuali: ergo sine illo, quod actu reperitur, & continetur in aliquo, si ut sic significetur, non potest salvari, nec reperiri illud ut v. g. divinitas, quia quatenus divinitas est, includit independentiam, non potest salvari sine illa. E contra vero ideo colligimus non contineri filiationem in divinitate actu essentialiter, quia reperitur, & salvatur sine illa essentialiter in Patre, & cognoscitur evidenter per metaphysicam sine filiatione.

37 Minor præcipua sic probatur, quia ens ut est potens ad existendum proprie, & realiter optime reperitur, & perfecte terminando cognitionem potentis existere proprie, & vere, & distincte absolute à nihilo, & à chimæra, salvatur in substantia, v. g. divina sine accidente, & in creatura salvatur simpliciter proprie, & vere, v. g. in Angelo potentia ad existendum vere, & realiter quatenus

distinguitur à nihilo, & à chimæra sine ratione independentiæ, & increati; & in accidente reperitur illa potentia vere, & realiter, & proprie sine perfectitate, & sine independentia Dei; nam accidens ut distinguitur à Deo, & à substantia ut sic, habet potentiam ad existendum vere, & realiter sine aliqua metaphora; nam vere, & realiter ad terminandam veram actionem Dei, habet potentiam extrahentem illud ab statu possibilitatis ad actualitatem veram, & realem, per quam ut ens creatum vere, & realiter opponitur nihilo, & chimæra, & in prima demonstratione metaphysica, ubi agitur de essentia in communi, & de attributis in communi rei, & potentis vere, & realiter existere reperitur, & salvatur hoc obiectum ens nulla facta mentione de accidente, & substantia, de Deo, & creaturis.

Item, quia illud, quod non dependet essentialiter ab aliquo, nec connectitur cum illo essentialiter; potest salvari sine illo; sed ens non dependet essentialiter, nec connectitur cum inalienitate, vel perfectitate: ergo sine illis salvari potest. Maior est evidens, ut supra demonstratum manet. Minor sic probatur. Ratio, quæ indifferens est ad multa, & multis oppositis communicatur, non dependet ab illis, nec connectitur necessario actu cum illis, ut videre est in substantia ut sic, quæ licet transcendat ultimas rerum differentias, nec connectitur necessario, nec dependet ab illis, ita ut non possit cognosci sine illis, siquidem in hac cognitione: substantia est ens per se; ibi proprie cognoscitur sine inferioribus; & animal nullam habet connexionem necessariam actualem cum rationali, vel irrationali, & ideo cognoscitur præcisive antequam fiat universale animal sine inferioribus, & realiter simpliciter datur animal in equo sine rationali, & in homine sine irrationali. Et ratio evidens est, quia ratio communis, & indifferens potest communicari oppositis, v. g. rationali, & irrationali, sed si dependeret, & necessario connecteretur cum aliquo oppositorum, non posset contrahi, nec habere actualem, & necessariam connexionem cum alio opposito, v. g. quia materia prima est indifferens ad formam rationalem, & irrationalem, non habet dependentiam essentialem, & necessariam actualem connexionem cum aliqua illarum, quia alteri non communicaretur. Quod patet evidenter. Nam quando materia prima actu est informata anima rationali pro ut sic, non potest communicari irrationali. Patet clarius in aere: Ideo enim aer nullam habet actualem dependentiam essentialem, aut connexionem cum luce, aut cum tenebris, quia est indifferens tam ad lucem quam ad tenebras; præsertim quia opposita pugnant circa idem subiectum, & ex natura sua petit unum oppositum expellere aliud ex eodem subiecto, sed illa ratio indifferens ad opposita est illud subiectum, circa quod pugnant illa opposita: ergo non possunt compati in illo. Tunc sic: ens non solum quoad nomen, quia iam esset æquivocum, sed etiam quoad obiectum nominis quatenus dicit non repugnantiam ad existendum, communicatur indifferenter Deo, & creaturis, accidenti, & substantiæ, quæ habent inter se oppositionem contradictoriam mediatam: ergo potest salvari; & reperiri sine villa, vel altera differentia illarum. Unde actu non continet aliquam illarum. Vide alia argumenta à nobis adducta disp. 3. q. 5. pro nostra conclusione.

Declaratur amplius hoc, quia tunc obiectum alicuius

## Quaest. VII. Quomodo contineat, &c. 183

alicuius cognitionis includit actu aliquid, quando significatio illius cognitionis prope terminatur ad illud, non potest salvari sine illo, quod includitur in obiecto ipsius; sed significatio cognitionis entis salvari in accidente sine substantia, & in substantia sine accidente: ergo neque includit obiectum illius cognitionis, aut accidens, aut substantiam actu. Maior est certa, ut patet ex exemplis adductis in notabili. Et ratio a priori est, quia cognitio non potest salvari quando est adaequata obiecto, sine eo, quod datur in suo obiecto, quia tota, & adaequate est representatio illius. Unde si ipsa representatio non potest reperiri sine aliquo existente in obiecto, signum evidens est, nec ipsam cognitionem, de cuius essentia est representatio, posse salvari; evidens enim est ex parte obiecti id, sine quo salvari non potest representatio, esse actuale obiectum representationis.

Ex quo sequitur evidenter esse actualiter contentum in obiecto illius, quia representatio adaequatur cum suo obiecto in eo quod obiectum illius est, & terminat formaliter ipsam cognitionem; sed aliquid, quod actu est in obiecto, sive confuso, sive expresse, non representaretur in ipsa cognitione; & ipsa cognitio posset salvari sine illo actu contento, primo non adaequaretur cum illo, & simul adaequaretur cum ipso, secundo; non representaret, & representaret simul illud; representaret, ut iam supponimus, non representaret, siquidem sine illo obiecto non representato in se salvaretur representatio, sed salvari sine obiecto in se representato, est salvari sine representatione illius: ergo iam idem sine seipso salvaretur; quod est impossibile, quia idem non potest esse sine se ipso: ergo cognitio, quae est idem quod representatio obiecti, non potest salvari sine representatione eiusdem.

Minor praecipua sic probatur, quia quando cognoscitur substantia, cognoscitur entitas per se quatenus opposita nihilo; ubi entitas simpliciter quatenus entitas est, cognoscitur ab illa cognitione, & nihilominus in illa substantia non datur ratio accidentis: ergo cognitio substantiae quatenus terminatur ad ipsam substantiam secundum se, cognoscitur ut entitas vera, non cognitio accidentis, & idem est de accidenti, ubi non cognoscitur substantia: ergo significatio entis salvari in substantia sine accidenti, quod patet manifeste in Deo, ubi cognoscitur perfectissima ratio entis sine substantia.

Confirmatur, quia inferiora entis non sunt de conceptu essentiali entis: sed illud, quod non est de conceptu essentiali alicuius, non includitur actualiter in illo quidditative, & metaphysice, sive clare, sive confuso: ergo inferiora entis nullo modo includuntur actualiter in ente. Maiorem supra probavi latissime, dum egi de praecisione entis. Et ratio eius est, quia quando potest dari aliquis conceptus sine alio, non potest includere illum quidditative, & metaphysice actu; quo enim alio argumento (dicant adversarii,) esset convincendus, qui diceret Petreitatem esse de essentiali conceptu hominis; nisi quia homo existit in Ioanne, ubi non est Petreitas: ergo quocumque aliquid conceptus potest esse, & salvari sine alio, non includit actualiter, & quidditative illum, sine quo potest esse; sed ens potest esse sine perfectitate in accidente: ergo perfectitas non est de conceptu essentiali entis: & idem argu-

mentum fieri potest de inalietate, & alijs inferioribus entis: ergo inferiora entis non sunt de conceptu essentiali illius. Minor praecipua constat ex notabilibus. Nam ideo animal non includit actualiter, sive confuso, sive expresse rationale, & irrationale; quia non sunt de conceptu essentiali animalis; sed inferiora entis non sunt de conceptu essentiali illius: ergo non includit illa actualiter.

Et si aliquis dicat, quod etiam animal includit actualiter sua inferiora confuso: ergo etiam ens includet sua.

Primo est hoc falsissimum, ut videre est ex demonstrationibus, quas fecimus contra huiusmodi modum loquendi in *Logica*, tractatu de genere, ubi efficaciter probatum est genus non includere actu sive confuso, sive expresse sua inferiora. Videantur ibi dicta, illis enim supersecedo, ne actum agatur.

Secundo, non soluit argumentum hac solutione, neque est contra finem quaestionis, quia nostrum intentum in ea, & praecedenti est probare, ens esse simpliciter praecisum a suis inferioribus, & unum simpliciter, sicut est unum, & praecisum animal, & quodlibet aliud genus, quod adversarii libenter fatentur, & patet manifeste. Quia vel ens est simpliciter praecisum; etiam si includat actualiter sua inferiora, vel nullum genus erit simpliciter praecisum; sed hoc secundum est absurdum: ergo licet ens includat actualiter sua inferiora, poterit esse simpliciter praecisum. Probatur Maior. Ideo ens non esset simpliciter praecisum, quia includeret actu sua inferiora; sed omne genus iuxta responsum datam includit actualiter sua inferiora: ergo nullum genus esset simpliciter praecisum: ergo ut hoc non dicatur, dicendum est, vel quod ens est simpliciter praecisum etiam si includat actualiter sua inferiora; vel quod genus non includit actualiter sua inferiora; ergo neque ens illa includit actualiter. Patet ultima consequentia. Ideo genus non continet, nec includit actualiter sua inferiora, quia inferiora illius non sunt de conceptu essentiali generis; sed inferiora entis non sunt de conceptu essentiali entis: ergo ens non continet illa actualiter.

Confirmatur iterum, diverso modo convenit enti perfectitas, & aptitudo ad existendum; sed aptitudo ad existendum convenit enti actualiter: ergo perfectitas non convenit actualiter enti. Maior est evidens, quia enti in quocumque statu convenit aptitudo ad existendum; sed non convenit illi perfectitas in quocumque statu: ergo diverso modo convenit enti aptitudo ad existendum, ac convenit illi perfectitas. Minor praecipua etiam est evidens, quia enti convenit actualiter, & essentialiter id, per quod distinguitur a nihilo; sed a nihilo distinguitur per aptitudinem ad existendum: ergo aptitudo ad existendum convenit actualiter, & essentialiter. Prima consequentia patet. Ideo ens includit actualiter aptitudinem ad existendum realiter, quia in quocumque statu sit ens reale, habet aptitudinem ad existendum realiter. Vel dicant adversarii, quo alio argumento esset convincendus, qui diceret, ens non includere actualiter aptitudinem ad existendum realiter, nisi quia semper illam includit ens in quocumque statu. Vel si aliquis protervus diceret, quod ens reale convenit chimæra, & quod chimæra non habet aptitudinem ad existendum realiter.

realiter; ita esset convincendus. Aptitudo ad existendum realiter convenit enti actualiter, & essentiali; sed chimæra non habet aptitudinem ad existendum realiter; ergo chimæra non est ens reale; quia implicat, quod sit aliquid ens reale, sine illo, quod actualiter, & essentialiter includit. Tunc sic argumentor: ens reale datur in substantia sine inaleitate, & in accidente sine perfectitate; ergo inaleitas, nec perfectitas non est de conceptu essentiali entis, nec illam includit actualiter, & essentialiter.

46 Et si dicas, quod inaleitas non est de conceptu entis, quod est in substantia, sed est de conceptu entis, quod est in accidente.

47 E contra est, quia etiam qui diceret ens reale esse in chimæra, posset dicere, quod aptitudo ad existendum realiter est de conceptu essentiali entis realis, quod datur in ente existente realiter, & quod non est de conceptu essentiali entis realis, quod datur in chimæra, quia illud prædicatum limitatur à subiecto iuxta propriam naturam subiecti; sed ex eo omnes Doctores colligunt evidentem in chimæra non esse ens reale, quia non est in illo aptitudo ad existendum realiter, quia nulla res potest dari sine sua essentia: ergo similiter colligitur evidenter, vel quod perfectitas non sit de conceptu essentiali entis realis, quandoquidem ens reale reperitur in accidente sine perfectitate, vel quod accidens non est ens reale, quia non habet in se perfectitatem, quæ est de conceptu essentiali entis realis.

#### SVBSECTIO V.

*Vltimum argumentum ponitur.*

48 Si illi modi continerentur actu in ente velut rationes constituentes ens continerentur, vel ut dividentes illud: Non primum; quia impossibile est, vnum ut vnum modis, seu differentijs oppositis constitui; sed ens est vnum simpliciter præcisum, ut supra probavimus; ergo. Item, quia illud, quod est prius alio, non potest constitui ab illo, respectu cuius est prius, prius enim non dependet à posteriori; & in constitutivis datur circulus vitiosus; nam quod constituit ut prius, vere constituit posterior; ergo si iterum posterius constituit prius, de primo ad vltimum idem à se ipso constitueretur; sed ens est prius modis per se, & in alio, nam isti modi sunt entia: ergo non constituitur illis. Minor sic probatur, quia quod est vniuersalius respectu particularis, est prius particulari; sed ens est vniuersalius respectu perfectitatis, & inaleitatis; nam illud est vniuersalius, quod multis communicatur, id est, illi particulari, & alijs; sed ens communicatur perfectitati, & inaleitati, & cui convenit inaleitas, convenit esse ens, & idem est de perfectitate: ergo ens est illis vniuersalius.

49 Nec etiam potest dici secundum; quia iam ille conceptus entis actu esset divisus in duos, & ita ille conceptus non esset vnus, cuius oppositum supra probavimus. Et nunc vergetur. Interrogando, quid sit actu includere illos duos modos: Aut enim est, quod in re ipsa, communis ille conceptus entis actu includat in rebus illis, in quibus existit, illos modos: Aut est, quod in ente, seu in conceptu illo obiectivo ut præcisè terminante talem conceptum formalem, includantur actu illi modi oppositi: Primum horum est verum: sed

non est ad rem; quia hic conceptus obiectivus consideratur ut præcisus, & adequatus conceptui formali entis ut sic, & non secundum totam realitatem, quam in re habet in omnibus inferioribus, hoc enim modo conceptus entis nec præcisus esse potest, neque vnus, cum includat actu totum id, quod ad distinctionem omnium generum, & conceptuum est. Nec proprie, ac vere dici potest conceptus entis ut sic, sed potius plures conceptus omnium entium secundum totas realitates eorum, à quibus conceptus præcisus entis, re ipsa non distinguitur. Et sicut non valet bene: Homo ut sic includit actu Petrum, & Paulum, quia conceptus obiectivus hominis prout in re ipsa existit, realiter ipsa individua includit; imo non est aliud præter illa; nec magis distinguitur in re homo à suis individuis, quam ens à substantia, & accidente; valde autem improprie propter hanc causam dicitur hoc: ergo similiter falsum dicemus, esse accidens, & substantiam actu in ente ut sic propter illam identitatem realem.

Loquendo autem de conceptu entis præciso in se alio sensu, qui magis est ad rem, falsum est dicere, includere actu modos oppositos inferiorum generum, quia ut sic solum includit id, quod representatur per conceptum formalem eius; sed per illum non representantur hi modi, neque expresse, ut patet, neque confuse, ut supra primo argumento, & confirmatione vltima demonstravimus. Et etiam, quia intellectus ut sic concipiens nihil horum percipit, ut ex dictis, & ex ipsa experientia patet; non enim alia ratione homo dicitur non includere actu individua; sed potentia tantum, nisi quia ut representatur per conceptum formalem præcisum hominis, non considerantur in illo aliqua individua; sed solum ratio hominis.

Vergetur amplius, si ens contineret actu substantiam, & accidens, hoc nomen ens simul significat, & accidens, & substantiam: sed hoc est falsum: ergo. Maior est evidens, quia hoc nomen significat ens, & quidquid actu continet ens; (sicut hoc nomen homo significat hominem, & quidquid actu continet ille; ) sed actu continet substantiam, & accidens: ergo. Minor sic probatur, quia sicut voces exprimunt conceptus formales entis; ita etiam immediate significant obiecta, quæ per huiusmodi conceptus immediate representantur; nam in tantum deserviunt ad exprimendos conceptus, in quantum illud ipsum, quod conceptus naturaliter representant, voces ex impositione significant; & ideo vox interdum in communi imponitur, quia conceptus, quem exprimit, communis etiam est: ergo illud etiam, quod est immediatum obiectum formalis conceptus, est mediatum significatum vocis adæquate illi conceptui, huiusmodi autem est hoc ens respectu conceptus formalis, (ens dico in communi.)

Quod sic amplius declaratur. Quia hæc vox 52 ens ita significat plura, ut ex vnica, & prima impositione illa omnia comprehendat: ergo signum est non significare illa immediate, sed medio aliquo conceptu obiectivo communi omnibus illis. Antecedens patet ex differentia inter significationem huius vocis, & aliarum, quæ per solam proportionalitatem, vel extrinsecam habitudinem ad vnum analogam sunt; nam in cæteris semper vox ex primæva impositione significat vnum tantum; postea vero per metaphoram aliquam

translata

## Quæst. VIII. Quomodo contrahatur, &c. 185

translata est ad significandum aliud; unde fit ut immediate significet utrumque quasi duplici impositione, & significatione, in quo cum aequivoce convenit; solumque differt, quod in aequivoce utraque impositio est æque prima, & non manat ab altera, sicut in prædictis.

53 Exempla sunt sanum, & etiam à multis afferuntur risus, qui ex primæ impositione solum significat risum hominis; postea vero translata est ad significandum agri amœnitatem; at vero nomen ens ex propria, & primæ impositione habet communem significationem omnibus entibus, ut patet. Tum ex communi usu, & apprehensione talis vocis; Tum ex formali significatione illius, quod est esse, quod de se commune, & intrinsicum est omnibus rebus entitatibus. Consequentia prima clara est. Vna vox non potest ex vi unius impositionis significare plura ut plura, sed ut sunt aliquomodo unum, & ideo de ratione vocis communis est ut saltem secundum rationem, & in ordine ad conceptus, quos voces expriment, non significant immediate plura ut talia, sed ut unum; nam propter hanc immediatam significationem rationis communis entis potest propriissime ens esse medium in syllogismo, & distribui dicendo: omne ens est verum, sed homo est ens; ergo, & dividi in substantiam, & accidens, non enim sola vox ibi dividitur, sed etiam ratio essentialis utriusque significata per vocem.

54 Item fit comparatio dicendo: Hoc ens est perfectius alio, & sic, ut experientia constat, auditio nomine entis, certum est aliquid nos concipere, & non substantiam, neque accidens; dicere enim non possumus, nos sentire in vocis conceptu, quia id est contra experientiam; alium enim conceptum format, qui scit vocis ens significationem, quam qui ignorat; hic enim concipit vocem, & ibi sistit, vel dubitat, quid ea voce significetur; ille vero præter vocem concipit rem significatam, & de significatione nullo modo dubitat, & tamen non concipit substantiam, neque accidens; imo de quadam re cognoscit evidenter esse ens, & vere esse, & dubitat an sit substantia, vel accidens; nam de relatione cognoscimus evidenter esse ens, & tamen dubitamus, an sit substantia, vel accidens; imo falso asseritur ab aliquibus esse substantiam; ergo hæc vox ens habet aliud immediatum significatum, quod sit quedam ratio communis, ubi nulla ratio inferior actu continetur.

55 Ultimo sic probatur, quia ens est simpliciter præcisum, & unum, ut probatum manet *quæstione præcedenti*, quia omnis ratio convenientiæ præcinditur simpliciter à differentiis, sicut videre est in Deo, respectu personalitatis, & in substantia respectu corporeitatis, & spiritualitatis, & in animali respectu hominis, & equi; sed illud, quod est simpliciter præcisum ab aliquo, & unum simpliciter per illam rationem, non potest esse simul propterea præcisum coniunctum cum illo, à quo præcinditur, quia quod est præcisum, est cognitum sine illo, à quo præcinditur; & quod est unum, non potest continere actu differentias oppositas in se; quando autem aliquid continetur in aliquo actu, quatenus obiectum est cognitionis, cognoscitur cum illo, vel in illo, si quidem continetur cognoscitive, id est, per cognitionem, & ex vi illius; ergo non præcinditur, quod iam ut præcisum supponitur, unde præcinditur, & non præcinditur.

R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

### SECTIO VLTIMA.

*Argumenta adversaria solvuntur.*

Ad primum nego maiorem; nam animal identificatur realiter cum rationali, & nihilominus non continet actu rationale per vos, quia, ut bene ait P. Suarez, non debet argui à modo concipiendi nostro ad rem ipsam ut est à parte rei, & ideo licet à parte rei identificetur una ratio cum alia, potest ita concipi, ut una non includat aliam ratione distinctionis virtualis, quæ datur inter ipsas, ut videre est in specie, quæ concepta secundum rationem communem in dividuis, non includit differentias individuales etiam si habeat identitatem cum illis. Ad probationem nego antecedens; substantia enim non ideo continet actu perfectitatem, quia identificatur cum illa, sed quia essentialiter constituitur ab ipsa, & quia est de definitione quidditativa illius; ac proinde non potest præcindi ab illa.

Ad secundum respondetur distinguendo Maiorem: omne, quod est ens sub communi ratione entis concedo; omne, quod est ens particulare, seu differentia entis nego.

Ad tertium nego Maiorem. Ad probationem Maioris, distinguo Maiorem; distinguetur tanquam includens ab incluso, absoluta distinctione nego Maiorem; distinctione per maiorem expressionem ex parte perfectitatis concedo Maiorem. Itaque licet substantia includat perfectitatem, quam non includit ens, nihilominus hæc inclusio non est alicuius formalitatis, quæ distinguitur absolute ab ente, sed solum formalitatis, quæ magis exprimit ens, ut patebit ex dicendis *quæstione sequenti*.

Ad confirmationem, distinguo Maiorem: si ens non includeret actu totum, quod actu dicit substantia, &c. si illud, quod non includit ens, & includitur in substantia, ita distingueretur ab ente, ut excluderet à suo conceptu ipsum ens, concedo; si id, quod non includit ens, & includitur in substantia, non distinguitur ab ente adæquate, sed solum per maiorem expressionem nego; quod contingit in præsentī casu, & ideo substantia non est proprie composita ex ente, & perfectitate; neque est resolvable in duos conceptus. Exemplo manifestissimo declaratur. Persona divina non dicitur proprie composita adhuc per rationem, quia licet persona præter divinitatem dicat relationem, nihilominus personalitas non distinguitur à divinitate, ita ut excludat ipsam divinitatem à suo conceptu, sed potius includit illam; unde magis exprimit divinitatem, & sic distinguitur ab illa per maiorem, & minorem expressionem. Quæ distinctio tollit compositionem personæ; quia ad propriam compositionem requiritur, ut extrema illa, inter quæ datur unio, distinguantur ad invicem distinctione excludentis ab incluso, eo modo quo animal, & rationale distinguuntur. Tunc sic: In præsentī dubio, licet substantia includat perfectitatem, quæ non includitur in ente, nihilominus talis perfectitas non excludit à suo conceptu ens, sed potius includit in ipso rationem essentialē entis, & solum distinguitur à tali ratione, per maiorem expressionem; ergo ratione talis distinctionis non potest dici substantia propria composita, nec illa potest resolvi

A a in

in duos conceptus adæquate distinctos, sed solum in conceptus distinctos per maiorem, & minorem expressionem.

60 Ad confirmationem concede totam illam. Et ad argumentum inde deductum nega antecedens, ut amplius constabit ex dicendis *quæstione sequenti*.



## QVÆSTIO VIII.

*Quomodo contrahatur ens ad sua inferiora.*

## SECTIO I.

*Sententie Adversariorum proponuntur.*

**P** R I M A sententia asserit ens contrahi ad sua inferiora per negationem formalem additam supra ens, ita ut ipsam negationem non transcendat ens. Sic Sozinas. 4. *Metaphysica*, *quæst.* 1. ad 2. & *quæst.* 19. ad 7. Et lib. 5. q. 14.

1 Probatur sic primo, ens contrahitur ad substantiam propria contractione: ergo debet addere supra ens substantia aliquid, quod non sit ens: sed sola negatio non est ens: ergo per solam negationem additam contrahitur ens ad substantiam.

2 Secundo, quia per illud contrahitur ens ad substantiam, per quod distinguitur substantia ab accidentem; sed substantia distinguitur solum per negationem inaleitatis: ergo contrahitur, &c.

3 Secunda sententia est Patris Suarez in *metaphysica* tom. 1. ubi asserit, contractionem entis fieri per meram, & solam maiorem expressionem entis sine aliqua additione; neque ex parte unius, neque ex parte alterius. Hæc opinio maxime plausibilis est in hoc tempore apud Neotheticos.

4 Probatur sic primo, quod hic modus sit possibilis, exemplis: nam cum dividimus quantitatem in bicubitam, vel tricubitam, &c. non potest intelligi quod conceptus bicubitæ quantitatis resolvatur in conceptum quantitatis, & bicubitæ; quia impossibile est, quod concipiatur bicubitum non concepta quantitate. Signum ergo est, illos duos conceptus solum distingui sicut expressum, & consulum. Idem fere est in conceptu caloris ut octo, cuius signum etiam est quod conceptus communis caloris non solum includitur in toto calore ut octo, sed etiam in singulis gradibus eius. Cum ergo dicitur calor ut octo, non additur modus distinctus faciens compositionem cum calore ut sic, sed exprimitur, & concipitur calor prout est in re.

5 Si autem hic modus possibilis est, quod in præfenti sufficiat, sic suaderi potest. Primo, quia hoc modo expeditur facile difficultas sæpe in superioribus inculcata, & explicatur quomodo ens possit dicere conceptum præcisum secundum rationem, & nihilominus determinatur ad inferiora, & intine includitur in omnibus absque processu in infinitum.

6 Secundo, quia hoc modo salvatur optime quomodo suprema genera dicant conceptus simpliciter simplices, & nihilominus possit ab eis ab-

strahi conceptus entis per solam præcisionem intellectus.

Tandem, contra hanc sententiam sic explicata nulla occurrit difficultas alicuius momenti, ut ex solutione argumentorum patebit.

## SECTIO II.

*Nostri sententia proponitur.*

**P** R I M A conclusio: sententia Sonzinatis est falsa, & probatur sic primo. Quia omnia particularia entia quidditative distincta, ad quæ contrahitur ens, habent sua propria constitutiva essentialia, per quæ ad invicem essentialiter differunt, & per quæ contrahunt rationem entis; sed hæc constitutiva propria non sunt negationes: ergo ens non contrahitur ad illa per negationes. Maior est evidens, quia nihil aliud est constitutum proprium intrinsecum alicuius inferioris, nisi ratio illa; per quam ad illud constituendum contrahitur ratio communis intrinsece, ita ut per eandem rationem contrahatur ens ad esse particularis essentialis, & talis essentia constituta distinguitur, & differat à quolibet alio essentialiter, quod non fuerit eiusdem essentialis cum ipso, v. g. proprium constitutum essentialis hominis est rationale, quod est ratio contrahens communem conceptum animalis, media qua contractionem vinitur ratio communis animalis cum tali rationali, & constituitur homo distinctus essentialiter ab equo, cuius differentia est ipsum rationale, media qua distinguitur essentialiter ab equo, & à cæteris quæ non sunt eiusdem speciei cum ipso. Item constitutum proprium Dei est ratio independentiæ, per quam contrahitur ens ut sic ad constituendum Deum, media qua distinguitur ab omni ente creato: ergo omnia particularia entia habent sua propria constitutiva essentialia, per quæ contrahitur ens ad illa, & per quæ ipsa distinguuntur ab alijs essentialiter.

Minor præcipua sic probatur. Primo à posteriori, quia omnia entia particularia habent proprietates, passionem, & attributa, quibus exornantur talia entia, & oriuntur à constitutivis proprijs essentialibus talium entium particularium, v. g. Deus habet infinitam scientiam, simplicitatem, omnipotentiam, infinitam scientiam, meritum, & mixtum dominium universale in omnes creaturas. Item Angelus habet perfectissimum intellectum, scientiam comprehensivam rerum inferiorum, voluntatem excellentissimam, virtutem motivam efficacissimam; homo habet visibilitatem, admirabilitatem, capacitatem disciplinæ, &c. Quæ omnes perfectiones sunt proprietates illorum entium, quæ oriuntur, vel quasi profluunt non à ratione communi illorum, per quam conveniunt cum alijs essentialiter distinctis ab ipsis; sed potius à rationibus particularibus, & proprijs earum, per quas differunt ab alijs, & differentia ipsarum appellantur, sed hæc proprietates non sunt negationes, sed positivæ formalitates: ergo differentia illæ, à quibus profluunt, & constitutiva essentialia propria entium particularium, à quibus dimanant, vel quasi dimanant, debent esse positivæ, & non negationes. Maior est certissima, quia si proprietates orirentur, vel quasi dimanarent, à rationibus communibus, & non à proprijs constitutivis differentialibus particularis